Assertiones Philosophicæ

DE

CONTINVO TRIPLICI QVADRAGENA COMPREHENSÆ.

Quas

IN CATHOLICA ET ELECTORALI Vniuersitate Ingolstadiensi

PRÆSIDE

NICOLAO WYSING
SOCIETATIS IESV PHILOSOPHIÆ PROFESSORE ORDINARIO

RELIGIOSI FF: ANTHERVS AZWANGER, ET MARTINVS BERNARDVS, CANONICI REGVLARES ORDINIS S. AVGVSTINI, PROFESSI IN POLLING METAPHYSICES ET MATHESEOS STVDIOSI publicè propugnabunt.

Ad Diem Aprilis. Anno M. DC. XXXI.

JNGOLSTADII, Ex Typographeo GREGORII HÆNLINI.

SANCTISSIMAE

MVLTIS MIRACVLIS CLARISSIMÆ

MALORVM OMNIVM PROPVLSATRICI

BONORVM OMNIVM LARGITRICI

AFFLICTORVM OMNIVM SOSPITATRICI

POTENTISSIMAE CLEMENTISSIMAE BENEFICENTISSIMAE

CRVCI IN POLLING.

SI absque magno ingrati animi argumento, CRVX SANCTISSIMA, *silere nos posse arbitraremur, ne Amyclarum quidem periculum, quos silentio periisse prouerbium ait, eam nobis mentẽ incussisset, vt non nihil dicere auderemus adeò tu, eaq; omnia quæ in te sunt, omnem loquendi obruunt facultatem, vt certè tam temerarius futurus nemo sit, qui, si de te cognouerit, non stylum ponat, miretur & obstupescat. Nos autem clientes tui, vt ne ingrati simus, aliquid dicemus, vt ne tamen audaciæ accusemur, plura tacebimus.*

Tacemus mirabilem tuam nongentos iam ante annos originem; non dicimus ab ipsis te repertam, te cultam fuisse feris; præterimus adeò te DEO *in amoribus esse, vt negligentiam tui puniat, obseruantiam largissimè rependat; silemus tot te temporum iniurias, incendiorum flam-*

INGRESSVS.

Ergeminam de Continuo Quadragenam exhibemus, pro triplici Continui ratione, quam proponendam disceptationi publica sumpsimus. Prima est de Continuo in communi. Altera est de Continuo Extensiuo. Tertia de Intensiuo. Inserimus insuper alia quadam, non aliena quidem illa ab hoc nostro instituto, qua tamen Continuum sub propria sua ratione non afficiant, sed qua solummodò generaliorem quandam rationem concernant, ac proinde ad pleniorem Continui cognitionem plurimùm faciant.

Procedimus methodo vulgari, & , quàm possumus, facili; id est per decisiones meras, sine rationibus discursum complexis, vt ne (contrà ac volumus) molesti simus, & maiorem in re omnino difficillima discentibus difficultatem, doctis verò tadium paremus.

CONTINVVM.

Assertio I.

ARistoteles 5. Metaph. text. 18. Quantum definit, quod est in ea, quæ insunt, diuisibile, quorum vtrumque aut singulum vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse: quæ definitio potiùs Contiunuo vt sic conuenit quàm Quantitati, quam infrà considerabimus. Sensus autem huius definitionis est, quòd Quantum (pro quouis Continuo sumptum) habeat potentiam ad id, vt diuidatur in partes, quarum deinde quælibet seorsim indiuiduam suam rationem habeat, fiatque res singularis & numericè demonstrabilis, de qua nimirum dici possit pronomen Hoc.

II. Partes, in quas diuidi potest Continuum, sunt eiusdem cum toto rationis, sed minores & minores in infinitum, adeoque quoduis Continuum componitur ex partibus potentiâ infinitis, non tamen aliquotis seu æqualibus (nisi sint communicantes) sed proportionalibus. Posset Devs vnico grano sinapis obducere infinities totum mundum, si ex illo acciperet partes in profundum, & extra se in longum & latum disponeret.

III. Nullũ continuũ in specie ab hac generali diuisibilitatis affectione excipiendũ est, neq; etiam angulus contingentiæ, cùm ille contineat veram quantitatem, nempe spacium illud, quod intercipitur inter duas lineas, quarum altera est circularis, altera verò recta tangens extrinsecus circulum in puncto. Licèt enim intra istas duas lineas non possit intercedere alia recta, possunt tamen infinitæ circulares intercipi, quod non est contra propos. 16. l. 3. Eucl.

IV. Quod si ponatur primò aliqua linea recta, ex puncto anguli contingentiæ ducta, cadere non intra angulum, sed intra circulum, à quo (simul & ab alia recta, quæ ex eodem puncto ducta extra circulũ cadit) angulus ille cõprehenditur. si deinde secũdò hæc eadẽ linea ponatur in puncto contractus immoto, tanquam ferrum ostio nexum in cardine moueri, cõtinuè vsque dum sursum extra angulum cadat, dicendum est, ne sic quidem futurum aliquid contra placitum Euclidis.

V. In tali casu linea nec ab vno termino, intra circulum designato, ad alterum (extra circuli tangentem) pertinget, quasi per saltum non transito medio (angulo contingentiæ) nec in-

nec intra tangentem & circulum vnquam in motu cadet, sed semper intra circulum continebitur, vsque dum contingat illam vel in tangentem, vel vltra illam traijci: & hoc ob lineæ circularis gibbositatem seu eminentiam, cui linea recta nullo modo potest etiam quo ad minimam partem coæquari. si hoc minùs phantasiæ, vt multa in Continuo, certè intellectui proportionatum est, ac proinde non minùs verum.

VI. Argumentum, quod olim Zeno contra motum proposuit, non euertit diuisibilitatem Continui in partes potentiâ infinitas, non enim transeundæ sunt partes actu infinitæ. Nulla proportionalis pars ab alijs diuidua per motum transitur, sed iuncta simul reliquis; nec vt pars sed tantùm vt aliquid extensum, quo modo à numeratione non attingitur. Partes determinato tempore transitæ, & ipsæ sunt determinatæ, & alicui certæ æquales: nos tamen imaginatione non possumus assequi, quanta omnium primò sit transita, cùm quâlibet assignatâ detur minor, quam verum est priùs sequenti transitam.

VII. Continuum non constat meris indiuisibilibus nec finitis, nec infinitis. Qui contrarium sentiunt de finitis, coguntur admittere totam terræ V.G. diametrum non esse maiorem duobus digitis; & insuper multas demonstrationes mathematicas negare. Hoc posterius incommodum incurrunt etiam ij, qui ponunt indiuisibilia infinita; imò aliquatenus etiam ij, qui aliqua saltem indiuisibilia à partibus realiter distincta admittunt.

VIII. Quòd plura indiuisibilia iuxta se posita non faciant extensionem, nequit euidenter ostendi per hoc, quod tangendo se se penetrarent. Firmius argumentum petitur tum ex eo, quia sic velocissimum mobile nunquam assequeretur tardissimum: tum ex eo vel maximè, quòd contra prædictas demonstrationes iterum impingatur: quæ licet non omnes ita sint ad limam Aristotelicam politissimæ, tales tamen sunt, vt nisi ab homine talium rerum prorsus imperito negari non possint.

IX. Dantur in Continuo partes actu realis existentiæ, non verò dantur partes actu realis diuisionis; imò nec dantur partes actu realis distinctionis ante designationem. Primo modo partes dicuntur, quia actualiter existunt saltem in ratione totius. Secundo modo, quia sunt diuisæ & non vnitæ. Tertio modo dicerentur partes actu, si vnitæ essent, & ita se haberent, vt diuersam entitatem importarent.

X. Diuisum aliquid ab altero in tantum dicitur, in quantum per realem separationem non communicat in numero cum illo alio. Distinctum aliquid ab alio in tantum dicitur, in quantum per realem diuersitatem non communicat in entitate cum illo, siue in quantum suis terminis conclusum, non excurrit in alterius fines, & sic per peculiarem terminationem ad se, dicit negationem terminationis ad aliud, sed quasi semet contrahit, & in vnum colligit in se ipso manens: secus si se se res habet, tũ iam vna pars non distinguetur ab altera, sed ab eadem includetur, & vnum quid cum illa faciet; quod fit communione eiusdem rationis indiuiduæ.

XI. Variè distinguuntur entia inter se. primò, aliqua tam intrinsecam negationem terminationis ad aliud habent, vt ea etiam repugnet, saltem naturaliter, inter se vniri. Secundò, aliqua minùs diuersa non tantam habent necessitatem terminationis ad se, quin possint inter se saltem per realem vnionem copulari, vt materia & forma physica. Tertiò, aliqua propè nullam omnino diuersitatem habent; propterea in se se non finiuntur, sed ad se inuicem ita communicant, vt vnum sint, etiam absque reali aliqua inter se vnione.

XII. Ad istud genus entium spectat Continuum in genere; illud enim ex se non habet partes diuersas, sed est totum quoddam indistinctum, & in se minimè diuersum; propterea etiam

etiam homogeneum dicitur ad distinctionem partium heterogenearum, quæ spectant ad ea entia, quæ secundo loco retulimus. Partes itaque totius homogenei seipsis vniuntur; partes totius heterogenei vniuntur per vnionem à se realiter distinctam.

XIII. Proportio actûs & potentiæ, quam partes totius heterogenei ad se inuicem habent, non facit, vt se ipsis illæ partes vniantur, quia illa proportio non facit, quò minùs illæ partes à ratione vnius excludant se se ob intrinsecam, quæ in vtraque reperitur, terminationem. Secus est in partibus totius homogenei: hæ enim cùm sint eiusdem rationis, non possunt non terminari ad se inuicem ablatis impedimentis, & consequenter non possunt non facere vnum.

XIV. Partes istius Continui possunt realiter distingui, absque eo quòd discontinuentur; idque triplici ratione. primò, designatione per intellectum factâ; vt, quando concipio vnam partem Orientalem, alteram Occidentalem. secundò, per applicationem alicuius inæqualis quantitatis aut entitatis; vt si vlna incumbat decempedæ; vel si calor vniformiter difformiter productus, extra subiectum conseruaretur. Tertiò, per informationem, vel diuersam configurationem; quo modo pars ligni frigida distinguitur à calida; & pars rami viridis ab arida; & oculus à neruo: Hæc enim omnia faciunt, vt partes diuersam entitatem importent, ac propterea vna non terminetur ad aliam.

XV. Non tamen in tantum negant distinctionem partes Continui, vt indiuisibiliter identificentur, sicut gradus metaphysici, & eâdem existentiâ indiuisibili existant; sed earum identificatio & existentia est adhuc diuisibilis, solumque dicit negationem termini proprij, & extensionem ad aliud; & infert separabilitatem partium, realemque illarum distinctioné, imò & diuisionem possibilem, quâ nimirum ex hac incompleta indiuiduatione ad completam possunt deuenire, & diuisione peculiares sibi terminos acquirere.

XVI. Partibus dicto modo identificatis diuersæ affectiones possunt conuenire: vt, quòd vna existat ante alteram; quòd vna se habeat vt causa, altera vt effectus; quòd loco dissitæ sint; quòd altera quiescat, dum altera mouetur; altera pereat, dum altera permanet; similiaque alia de partibus Continui dici possunt, quorum quædam earum tantùm distinctionem, quædam etiam diuisionem important, vt est primum & vltimum, quod iam adduximus.

XVII. Qui in Continuo admittunt partes actu saltem distinctas, & propterea etiam realiter vnitas, illi non effugiunt infinitum actu quo ad numerum partium transcendentalem, qui sic æquè pluralitatem impossibilem infert ac alius quiuis: deinde coguntur infinitũ componere ex meris indistinguibilibus, quæ quo ad extensionem nil differunt ab indiuisibilibus, & actuali separatione reipsa fient indiuisibilia, absque alia suæ entitatis iminutione.

XVIII. Partes Continui licèt sint infinitæ in potentia, nunquam tamen possunt esse infinitæ actu, eo quòd hoc etiam per absolutam potentiam implicet in rebus creatis vniuersim. Infinitum definitur: Id cuius semper aliquid est extra (græcè ἔξω vltra) accipere, id est in quo (respectu nostri) nunquam habetur totalitas & omnis perfectio, sed quamcunque quantitatem designauerimus, semper adhuc aliquid extra illam quantitatem erit spectans ad totalitatem Infiniti.

XIX. Prædicta definitio potest conuenire tam Infinito Categorematico, quam Syncategorematico, siue quod idem est tam Infinito in actu, quam in potentia. Hoc potest fieri per detractionem, vel per appositionem: priori modo requirit necessariò partes proportionales; posteriori verò potest habere etiam æquales. Si in Continuo darentur actu partes & indiuisibilia, tum darentur actiones infinitæ actu, non tantùm distinctæ, sed etiam diuisæ.

XX. In ma-

XX. In maiori & minori Continuo propriè non possunt dici partes æquè multæ, nec etiam in alterutro plures, aut pauciores: si tamen per impossibile ponerentur omnes actu, tum forent actu infinitæ in vtroque, & vnum infinitum esset maius altero, & darentur actu indiuisibilia, quibus Continuum componeretur.

XXI. Triplex ista implicantia necessariò sequitur ex eo, quòd per impossibile ponatur Infinitum in potentia, fieri Infinitum in actu. Ex tali hypothesi non licet nisi impossibilia inferre; licèt ex alijs hypothesibus impossibilibus possimus aliquando non tantùm possibilia, sed etiam necessaria deducere, nempe ex ijs, quæ non destruunt hypothesin retentam. Infinitum in actu & potentia non distinguitur aliter, quàm in actualitate & potentialitate partiũ.

XXII. Singulæ partes Continui distinguuntur saltem inadæquatè à tota earundem collectione, & tanquam inclusum ab includente. Devs potest diuidere omnes partes Continui distributiuè, non verò collectiuè sumptas.

XXIII. Sicut corpus respicit quamcunque figuram indeterminatè, & actuatur per aliquam determinatè; ita Dei potentia respicit quamcunque collectionem partium diuidendarum indeterminatè, & actuatur non nisi per aliquam ex his determinatè Si per impossibile Devs faceret Infinitum actu, per hoc tamen eius potentia non esset exhausta, quasi nimirũ ab aliquo excederetur.

XXIV. Devs cognoscit tot partes Continui, & tot cogitationes Angelorum, vt non plures supersint cognoscibiles; & hoc sensu diuisiones Continui in cognitione Dei sunt absolutæ; non tamen sunt finitæ, seu terminatæ, nec sunt infinitæ actu, sed tantùm in potentia: imò etiamsi per impossibile taliter ponerentur in actu, qualiter sunt in cognitione Dei, adhuc facerent Infinitum in potentia, & non in actu.

XXV. Sicut Devs cognoscit quamuis partem Continui in ratione partis, & consequenter adhuc partibilem, ita cognoscit quamuis cogitationem Angelorum, adhuc in alijs per æternitatem productibilibus multiplicabilem, siue talem, quæ cum alijs possit facere maiorem adhuc numerum. Si Devs ad visionem infinitorum obiectorum eleuato intellectui absconderet aliquamdiu V. G. tria ex ijsdem obiectis, deinde eadem rursus repræsentaret; tum si intellectus æstimaret numerum infinitum ex duobus finitis fieri, faceret ens rationis.

XXVI. In Continuo dantur indiuisibilia realia & positiua, tam copulantia quam terminantia, sed à partibus nõ realiter distincta, nec ex se actualia. Ista indiuisibilia quo ad entitatẽ nil aliud sunt, quàm ipsum Continuum: V. G. indiuisibile quantitatis est ipsa quantitas, in se quidem diuisibilis, sed indiuisibiliter accepta, nempe secundùm diuersam formalitatem, seu commensurationem, quam potest exercere respectu alterius.

XXVII. Quantitas, prout dicit omnes tres dimensiones, est Corpus; prout dicit tantùm dimensionem latitudinis & longitudinis, non verò profunditatis, est Superficies; prout tantùm dicit dimensionem longitudinis, & non latitudinis, est Linea: prout dicit nullam dimensionem, ita tamen est approximata alteri, vt propiùs non possit, est Punctum. Si Punctum realiter vniretur parti, tum vel mergeretur illud in profundum; vel daretur pars determinata indiuisibili proxima, & hæc ipsa frustra haberet indiuisibilia; imò ita sequeretur prius indiuisibile, vt inter illud & partem nullum aliud indiuisibile intercederet.

XXVIII. Omnem rationem, quam exercerent indiuisibilia realiter distincta, potest, ob virtualem suam multiplicitatem, exercere ipsa diuisibilis in se quantitas. Quando duo corpora perfectè plana sibi inuicem superponuntur, tum exercent officium Superficiei; quando verò cylindrus in plano iacet, tum exercẽt illa corpora officium Lineæ: quando globus perfectus planum tangit, exercet officium Puncti; & sic habetur Punctum, Linea, Superficies actualis.

XXIX. Communis terminus, quo dicuntur partes Continui copulari, est vtraque pars, in quantùm cum altera communem vnionem, seu coniunctionem habet per indiuisibile, quod possit designari: sic etiam V. G. in triangulo, per dimidium transuersim secto, sibi inuicem copulantur partes, quarum altera infra sectionem Continuo est amplior, altera supra sectionem Continuo est angustior, habentque æquales sui terminos; talesque etiam haberent, si darentur indiuisibilia realiter distincta: neque hoc multùm Aduersarios vrget, vt Nonnemo existimauit.

XXX. Ad rationem Continui rectè intelligendam, necessarium est scire, quid sit Esse Simul, Separatim, Tangens, Inter, Contiguum, Continuum, de quibus agit Aristoteles 5. Phys. text. 22. Simul dicuntur esse secundùm Locum, quæcunque sunt in vno loco Primo, seu tali, quem locata nulli alteri communicent. Tangere dicuntur ea, quorum extrema, saltem designabilia, sunt simul. Inter (siue Medium, quod Interesse seu Intercedere dicitur) est id, ad quod mobile continuò motum, priùs peruenire aptum natum est, quàm ad extrema.

XXXI. Deinceps, seu Consequens, vel Consequenter se habens est, inter quod post principium nil eiusdem generis est interiectum, licèt intercedat aliquid diuersi generis: sic primæ diei mensis est secunda Deinceps, licèt intercedant horæ. Contiguum, seu Attiguum, guum est, quod cum Deinceps sit, tangit. Continua sunt, quæ cùm sint Contigua, eorum extrema sunt vnum.

XXXII. Contiguum est Deinceps quandoque tantùm formaliter distinguuntur, vt fit in contactu globi & plani: tangunt enim hæc, in quantum eorum extrema sunt simul; Deinceps sunt, in quantum nil eiusdem generis illis intercedit. Ex contiguis fiunt continuæ partes sine superadditâ vnione, seipsis formaliter: quasi causaliter verò seu dispositiuè fiunt continuæ oblatione dispositionum, vnitatem continui impedientium, si adsint; si verò nullæ tales adsunt, tum impossibile est, vt sint solùm contiguæ illæ partes, sed necessario continuantur.

XXXIII. Dispositiones, quæ impediunt continuitatem, ita vt partes realiter separentur, debent esse fortiores ijs, quibus fiunt partes actu extra earum separationem. Quales eæ sint, vniuersim dici non potest; multùm facit durities in rebus aliàs ex se mollibus; ècontra liquor rei naturalis admodum confert rerum continuitati. Lux V. G. & similes qualitates vix aliter videntur posse discontinuari per separationem seu diuisionem, nisi vel partium distractione, vel destructione.

XXXIV. Si per absolutam potentiam fieret corpus perfectè opacum, tum in illo naturaliter non reciperetur lumen. Potest supernaturaliter dari Pyramis perfectè acuminata, & Globus perfectè rotundus; & de facto concauitas mediorum Cœlorũ, conuexitasque perfectam rotunditatem haberent, si Cœli essent solidi, in suis tamen punctis polaribus immotis perfecto circulo moueri non possent. Qui indiuisibilia realiter distinguunt, nec perfectam Pyramidem, nec Globum videntur posse admittere, quod non tantùm demonstrationibus mathematicis, sed etiam DEI potentiæ minùs consonum videtur.

XXXV. Tactus Globi & Plani non est Positiuus, sed Negatiuus, est tamen verus tactus, per summam nimirum corporum approximationem, neque Negatiuus dicitur, quòd omnem rationem tactûs neget, sed quòd aliquam determinatam, nempe eam, quæ ab alijs ponitur fieri per entitates penetratas. Ante designationem nulla pars Globi, sed totus Globus tangit planum; post designationem ea pars tangit, quam mihi determino: Extrema non tangũt vt Quod, sed tantùm vt Quo.

XXXVI. Globus albo colore madidus, & in pauimentum nigrum desiccatum lapsus, nullum

nullum albedinis suæ vestigium relinqueret. Globus ferreus in subiectum vitrum lapsus, tactu ille negatiuo sufficienter applicatur, vt producto impulsu partes vitri disijceret.

XXXVII. Si per impossibile superficies plana inter duos globos se tangentes interijceretur, tum simul assent tria puncta in eodem puncto spacij imaginarij: similiter se haberent plures Pyramides in apicibus se tangentes. Globus extra Vacuum in aëre planum tangeret sine áëris scissione, sed circùm affusæ partes aëris sibi intimè coniungerentur; sicut partes plani à puncto globi designatæ.

XXXVIII. Sicut quoduis corpus in motu occupat spacium se maius, ita & punctum globi, per planum tracti, occupat spacium se maius, nempe diuisibile. Si in tempore darentur duo instantia immediata, tum etiam darentur duo puncta immediata in spacio per motum transito. Devs potest creare Angelum in tempore, instans immediatè consequente.

XXXIX. Globus per planum volutatus dicitur circulariter moueri, quia partes antè ad planum depressæ, & retrò ex eodem surrectæ, circulari successione in globo se se consequuntur; aliàs sicut nec in Rota, ita nec in Globo partes circulum in áëre describunt, sed tantùm segmenta seu arcus similes ijs, qui in Xysto seu porticu inter quasuis columnas intercipiuntur. Centrum semper æqualiter à peripheria globi distat, etiam in partibus motûs; à plano verò nonnisi in quiete, & in mutatis ipsius motûs. adeóque non mouetur motu recto; hoc enim sine discontinuatione non esset.

XL. Sicut quantitas alteri proximè assistens (sine vllâ tamen commensuratione) habet rationem puncti, ita tempus quo ad coëxistentiam tam prope appropinquatum affectui, vt propiùs non possit, & tamen illum non mensurans, dicitur Instans. Hoc Instans dicitur Inchoans, si proximum sit tempori futuro; Terminans, si præterito; Copulans, si præterito & futuro. Instans non existit realiter tum, quando ab ipso aliquid denominatur.

EXTENSIVVM.

I. Qvantitas est Ens per se extensũ, siue, est Ens, q, per se habet partes extra partes. Per extensionem seu extreitatem partium primò non intelligitur talis rei extẽsio in ordine ad se, per quam res ita est constituta, vt possint in ea assignari partes, quarum vna non sit alia, siue iam sint extensæ in ordine ad locum, siue non.

II. Nec etiam secundò intelligitur talis extensio, per quam res ita coexistat loco, vt habeat totam suam entitatem correspondentem toti loco, & partes entitatis suæ partibus loci. Sed tertiò intelligitur in allata definitione talis extensio seu extreitas partium, per quam fit, vt res habeat partes loco ita coëxtensas, vt eæ alias partes ab eodem loco excludant, adeoque sint impenetrabiles.

III. Extensio, quæ primo & secundo loco est est adducta, conuenit etiam ipsi materiæ primæ, item formis materialibus, & accidentibus corporeis: ea, quæ tertio loco relata est, ita propria est Quantitati, vt eam naturaliter semper consequatur. Hæc vocatur extensio Quantitatiua; prima Entitatiua, altera Localis non incommodè dicitur.

IV. Si Devs auferret Quantitatem à materia vnâ cum reliquis omnibus qualitatibus, tũ nulla fieret confusio partium materiæ, sed æquè illa, quæ antè pedibus subfuit, maneret coniuncta genibus, & non collo, vt antè: imò etiam retineret priorem extensionem localem, nec posset se naturaliter ad minus spatium contrahere.

V. Credibile est tam Materiæ primæ, quam etiam ipsi Quantitati secundùm se conuenire extensionem aliquam certam, in ordine ad locum, vltra vel intra quam si concedat materia vel Quantitas, non haberet extensionem sibi extra formas debitam, vtcunque aliàs & Quanti-

Quantitas, & materia, prout certis formis naturaliter subsunt, ita etiam earundem extensionem sibi connaturalem habeant. Quod si materia ab aliquo Angelo posset in indiuisibile comprimi, id materiæ non esset congruum, quia sic inepta redderetur fini suo, qui est sustinere actiones naturales.

VI. Grauitas primaria rebus datur ad id, vt corpus illud, cui debetur, leuiori subdat. qui finis cùm deficit, etiam medium ad eundem deficit, nempe descensus rei grauis. Si ergo relinqueret DEVS grauitatem in materia prima, formis reliquis cum Quantitate ablatis, vel nō deprimeret grauitas superiores partes materiæ, vel tantùm intra illud spatium comprimeret, intra quod diximus materiam extra formas naturaliter constituram, ipsâ nimirum grauitate partes mouente, quantùm deorsum tendunt; Deo verò, quantùm ad reliquas loci differentias, ad debitam densitatem acquirendam feruntur, easdem impellente.

VII. Simili modo, si ablatâ Quantitate in materia, maneret forma substantialis cum grauitate vel leuitate, tum materia aliter non extenderetur, quàm vt maximè congruum foret formæ, cui materia subest; siue secundùm quantitatem molis, si materialis sit; siue secundùm quantitatem virtutis spectatæ, si sit spiritualis. Et ipsæ formæ substantiales materiam suam ad eas partes, quæ nec sursum, nec deorsum sunt, solæ impellerent.

VIII. Si proprijssimè loquendum sit de Densitate & Raritate materiæ & Quantitatis, tum eæ secundùm se, & abstrahendo à formis, quibus coniunguntur, non rectè denominantur densæ aut raræ, nisi citra vel intra debitam sibi extensionem coarctentur, aut vltra seu extra eandem extendantur, vt adeò motus ad Raritatem dici absolutè debeat, qui à maiori extēsione ad minorem tendit, modò non intra extensionem suam connaturalem Quantitas coarctetur.

IX. Similiter etiam motus ad Densitatem est omnis ille, qui vltra eandem extensionem Quantitatem non amplificat, quamuis à minori ad maius spatium Quantitas diducatur, vt adeò connaturalis rei extensio sit proprium confinium, ad quod Raritas & Densitas se se absolutè extendunt. Aliter sentimus, si de his respectiuè loquamur: sic enim Rarum est, quidquid respectu prioris maiorem extensionem habet sub eadem mole; Densum, quidquid minorem.

X. Substantia ablatâ Quantitate nihilominus haberet rationem Figuræ, Mensuræ, Æqualitatis &c. non tamen esset impenetrabilis secundùm se, ne quidem quo ad exigentiam; hoc enim soli Quantitati conuenit, eiusque adeò essentiam constituit: nam ista exigentia nō est perfectè formaliter distincta ab essentia Quantitatis; sicut nec eæ exigentiæ, quibus reliquæ essentiæ proprietates suas requirunt, perfectè formaliter ab illis ipsis essentijs distinguuntur, sed solùm imperfectè, velut potentia subiectiua distinguitur à materia prima.

XI. Figura, Extensio, Impenetrabilitas, & ipsa penetratio formaliter (non causaliter pro actione, quæ duo corpora in eodem loco statuat) sumta, de facto non sunt Modi, licèt de possibili nil videatur repugnare, similes effectus formales communicari etiam per Modales entitates; sicut Quidam admittunt etiam duo Vbi diuersæ speciei, quorum alterum sit formalitas, alterum verò Modalis entitas, quæque in generica ratione statuendi rem in Loco conueniant.

XII. Est ergo Figura nil aliud, quàm ipsa Quantitas, vel materia, vel quoduis Extensum, non quidem secundùm se sumtum, sed prout in eo partes à se inuicem distantes, & in ordine ad se spectatæ certo modo terminantur, & reliquarum partium exteriorum ablationem connotant. Et sic in cuiusuis corporis profundo latent infinitæ figuræ quo ad entitatem, quæ eo ipso posteà actualem rationem figuræ accipiunt, quòd sine vlla alia intrinseca corporis immutatione, solùm ablatis certis partibus, certas hominum, brutorumque species repræsentant.

XIII. Extensio est ipsa entitas rei partibus ſpatij diſtantibus commenſa, ſiue illud ſpacium reale ſit, ſiue imaginarium; nam & hoc partium ſuarum qualium qualium diſtantiam habet, eamque prorsùs inuariabilem, atque ideo etiam puncta fixa, & immobilia iſti ſpacio attribuuntur, ex eo nimirum, quòd illa reſpiciant realem determinatam extenſionem, in medio ſui interceptibilem, ſiue quòd eòdem recidit: punctum fixum nil aliud eſt, quàm medium alicuius corporis ſiue actu, ſiue potentiâ locum occupantis, & ita certo ſpacio affixi, vt non habeat variabilem diſtantiam reſpectu medij alterius corporis eodem modo, vel creati, vel creabilis in loco.

XIV. Impenetrabilitas eſt ipſa entitas Quantitatis, prout alterum corpus ab eodem ſpacio excludit, eique ſic reſiſtit, quo modo etiam reſiſtentiam formalem Qualitatum contrariarum propè omnes explicant; item reſiſtentiam formarum ſubſtantialium reſpectu eiuſdem ſubiecti, Penetratio (formalis, non cauſalis) eſt ipſa Indiſtantia plurium rerum ab eodem ſpacio, ſiue eſt coëxiſtentia rerum in eodem loco proprio.

XV. Ratio Menſuræ, Æqualitatis, Diuiſibilitatis, Extẽſionis, Impenetrabilitatis poſſunt variè comparari tam ad ſe inuicem, quam ad Quantitatem. Primò ergo ratio Menſuræ in Quantitate ſupponit extenſionem, & partium diuiſibilitatem, ſicut & Impenetrabilitas: econtra Extenſio nec impenetrabilitatem, nec rationem menſuræ annexam habet, nec diuiſibilitatem Secundò Æqualitas (ſicut & Inæqualitas) ſequitur menſuram, ſeque iſta duo ſemper comitantur proportionaliter, tam in actu primo, quam in actu ſecundo. Tertiò Diuiſibilitas ſupponit continuitatem, non verò actualem extenſionem aut impenetrabilitatem.

XVI. Tres ſunt ſpecies Quantitatis, Linea, Superficies, Corpus; hæc dimenſionibus ita differunt, vt ſemper poſterior priorem excedat: Linea enim extenditur tantùm in longum; Superficies ſimul in latum; Corpus præterea in profundum. Linea & Superficies habent duplicem rationem formalem: vna eſt indiuiſibilitatis & inextenſionis; Altera eſt diuiſibilitatis & extenſionis: poſteriori modo tantùm habent rationem veræ Quantitatis; priori ſunt quid incompletum, & aliò ordinantur, Linea ad Superficiem, hæc ad Corpus.

XVII. Superficies immobilis, & prima in corpore locatum continente, conſtituit Locum Extrinſecum Ariſtotelicum formaliter. Immobilitas Loci deſumenda eſt à punctis fixis ſpacij imaginarij; quod ſpacium ſi ſumitur pro re extenſa poſſibili, tum Locus à nullo negatiuo dependet. Quando per idem ſpacium imaginarium circa rem immotam plures partes ſuperficierum, ſaltem contiguarum, ſucceſſione perferuntur, tum locus quidem realiter mutatur, res verò illa, quam conſiſtentem ſuperficies tranſuolant, non mouetur loco.

XVIII. Denominatiuè locus mutari dicendus non eſt, quam diu, ſaltem per contiguam ſuperficierum ſucceſſionem, occupatur idem ſpacium imaginarium, eo quòd licèt locus phyſicè, ſaltem inadæquatè, mutetur, maneat tamen ſecundùm id, quod eſt potius, nempe ſecundùm immobilitatem, quam omnes illæ ſuperficies ab eadem diſtantia ad punctum aliquod fixum deſumunt. Cælum ſupremum abſolutè poteſt dici eſſe Alicubi, cùm ſit in ſpacio reali Increato; Devs verò licèt in rigore vocum non rectè dicatur eſſe extra Mundum, communi tamen vſu loquentium ſine addito non malè dicitur eſſe extra Mundum; meliùs diceretur cum addito, ly in ſeipſo.

XIX. Locus Intrinſecus, licèt per abſolutam potentiam poſſit eſſe Modalis entitas, de facto tamen eſt formalis ratio præſentiæ, indiſtincta ab entitate cuiuslibet rei, per quam res formaliter eſt, & dicitur eſſe Alicubi: ſiue eſt ipſa rei locatæ cum ſpacio coëxiſtentia, & ab eodem indiſtantia. Extenſionem & diuiſibilitatem habet hic locus, ſeu, vt alij vocant, Vbi

intrin-

intrinsecum, prout ipsa res locata diuisibilis est & extensa, cùm ab eadem realiter non distinguatur, siue locatum in entitate sit diuisibile, siue indiuisibile; siue in spacio reali siue in imaginario constituta.

XX. Hac sententiâ positâ, minùs iam placent variæ Auctorum sententiæ. Vt, quòd primò aliqui cum Soar: dicunt, Modum illum vbicatiuum reperiri in rebus tam corporeis quã incorporeis, tam respectu loci realis, quam spacij imaginarij. Quòd secundò Alij cum Thomistis apud Fasol: negant illud conuenire Angelis. Quòd tertiò Alij cum Vasq. talem modum in Angelis admittunt solùm, quando per se, & non ad motum corporis mouêtur. Quòd quartò Alij cum Lessio hoc Vbi solùm concedunt respectu spacij imaginarij non verò loci realis. Quod quintò Alij cum Moncæo putant hoc Vbi vniuersim non distingui ab extensione rei, quæ ipsi tamen, extensio sit Modus. Quòd sextò hoc ipsum Alij saltem in substantijs spiritualibus approbant. Quòd septimò Alij cum Raynaudo hoc Vbi tantùm admittunt respectu præsentiæ diuisibilis, non verò indiuisibilis.

XXI. De facto sunt tantùm duæ species ipsius Vbi, per quod res naturaliter loco consistat, nempe Circumscriptiuum, & Definitiuum; hoc Spiritibus, illud Corporibus proprium est: communicatur tamen supernaturaliter hoc posterius Corpori Christi in S. Eucharistia; si sumatur formaliter, tum re non est quid aliud ab ipsa entitate corporis; causaliter est actio productiua substantiæ, modo definitiuo existentis, in entitate supernaturalis; conuenit hoc Vbi in aliquali ratione generica cum Vbi definitiuo Spirituum.

XXII. De possibili non videtur obstare, quò minùs & hæc Vbi, quæ à suis subiectis modaliter sint distincta, & aliæ adhuc species talium Vbi dentur: v. G. si primò ponererur Vbi materiale & spirituale, atque horum vtrumque haberet sub se duas species, nempe Definitiuum & Circumscriptiuum. Secundò si ponerentur aliqua istorum Vbi esse diuisibilia, alia indiuisibilia.

XXIII. Non videtur repugnare, vt per Vbi materiale siue diuisibile, siue indiuisibile ponatur aliquid definitiuè in loco, neque vt per Vbi spirituale, itidem siue diuisibile, siue indiuisibile ponatur Corpus in loco, aut per materiale Spiritus; modò non sit Circumscriptiuum, hoc enim repugnat entitati spiritûs.

XXIV. Locus carens corpore, est formaliter Vacuum Philosophicum; habet suo modo extensionem aliquam, etiam prout spectatur secundùm Esse negatiuum, quod inuoluit, nempe secundùm carentiam corporis; propterea motus localis in eo non fieret in instanti. Vacuum naturaliter dari non potest, etiamsi diuinitus auferretur à rebus Quantitas, neque etiã ab Angelis potest fieri Vacuum, sed à solo Deo.

XXV. Motus, quo rès feruntur ad impediendum Vacuũ, licèt aliquo modo naturalis dici possit, simpliciter tamẽ est violentus, & prouenit ab extrinseco agente, nempe ab eo, qui mouet illud primum corpus, quod reliqua metu Vacui consequuntur. Motus in Vacuo posset fieri & alteratiuus, & localis, etiam animasticus, etiam progrossiuus. Leuia tamen & Grauia in Vacuo non mouerentur.

XXVI. Etiam Situs extensionem supponit, & ipsi Vbi circumscriptiuo tam propinquus est, vt putent Aliqui, ista duo re non differre. Hoc non probamus, si Vbi ponatur Modus distinctus ab vbicato: quia verò nos nec Vbi, nec Situm ab entitate rei distinguimus; hinc facilè concedimus, illa duo etiam inter se non differre. Est ergo Situs nil aliud, quàm certa dispositio partium inter se, & quidem talis, quæ resultet ex locali earundem coordinatione, ita tamen, vt illa coordinatio nec à spatio imaginario, nec à quouis reali desumatur, sed tantùm à partibus Mundi principalibus, V. G. Elementis, Centro Terræ, Cælo &c.

XXVII. Pessimè homini esset in Vacuo, vt pote cuius interiora non haberent suæ situationis terminum, ad quem legitimè tenderent. In Vacuo non potest haberi verus Situs, cùm non posint in eodem esse habitudines illæ ad Situm requisitæ. Posset homo Situm mutare, etiamsi ipse immotus permaneret, modò terra, quam modò erectus calcat, illius capiti imponeretur.

XXVIII. Inter principales Situs numerantur Statio, Sesio & Stare erectus dicitur, qui plantis terram premens, directam per medium capitis & totum corpus deorsum ad centrum terræ lineam demittit. Sedere dicitur, qui Lineam Directionis per medium corpus deorsum demissam habet, genibus antrorsum à facie protensis, & pedibus tum deorsum ad terram inflexis. Qui intra terrã perticæ insidens, ad horizontem prorsùm protraheretur, iam non amplius Sederet, sed Iaceret vbi ad terræ superficiem deueniret licèt nullo alio motu se ad hunc Situm componeret.

XXIX. Idem numero Situs retinetur etiam moto corpore, quàmdiu eadem habitudo ad partes Mundi principales prædicto modo retinetur. Dispar ratio est in vnitate numerica ipsius Vbi; hoc enim & specificationem & indiuiduationem à spacio imaginario, saltem inadæquatè, sortitur: proinde res vel minimùm mota acquirit aliud numero Vbi.

XXX. Adæquata indiuiduatio ipsius Vbi sumitur tam à spacio imaginario, quam à subiecto: vnde duo corpora inter se penetrata idem numero Vbi non haberent, sed diuersa. Non implicaret eandem rem diuersis numero Vbi simul in eodem loco statui, si Vbi realiter à locato distingueretur. sicut plurium albedinum visiones plùs differunt numero quàm plures visiones eiusdem albedinis; ita Vbi plurium rerum, extra se positarum, plus differunt numero, quàm plura Vbi earundem inter se penetratarum.

XXXI. Inter res extensas etiam numeratur Tempus. diuiditur in Extrinsecum & Intrinsecum, sicut Locus: Illud vsitatitùs Tempus; Hoc Duratio dicitur. Duratio non distinguitur à re Durãte; quo ad hoc enim omnino par est ratio de Vbi & Duratione, vt adeò qui Vbi distinguit modaliter ab vbicato, is pari iure etiam Durationem à re durante distinguere debere videatur. Duratio ergo realiter nil aliud est, quàm continuata rei existentia, siue Esse actuale rei, inter eiusdem (si creata sit) inceptionem & desitionem interiectum. Quæ instantaneè existunt, non habent propriè Durationem.

XXXII. Duratio vt completa formaliter sit, debet sumi in ordine ad tempus imaginarium, estque ipsa coëxistentia rei cum tempore imaginario; adeoque si duratio adæquatè sumatur, est quid partim intrinsecum à re durante, partim extrinsecum à tempore imaginario seu reali posibili: quo modo non tantùm Vbi, sed quæuis relata sunt denominationes partim intrinsecæ, partim extrinsecæ, quamuis vt plurimùm sumi soleant inadæquatè, & solùm secundùm intrinsecum in subiecto; quo modo nil obest, tam in Duratione tempus, quam in Vbi spacium imaginarium non reale pro termino istorum relatorum ponere.

XXXIII. Quamuis ob Loci immobilitatem eadem præsentia non possit diuerso spacio imaginario coëxistere, potest tamen, saltem quoad denominationem, & solet eadem numero Duratio pluribus partibus temporis imaginarij correspondere; atque hoc fit propter fluentiam temporis, quâ rem duranrem transgreditur. Diuiditur Duratio Intrinseca ratione entitatis in Materialem & Spiritualem; ratione existentiæ vel simultaneæ, vel succedaneæ, in Permanentem & Successiuam. Duratio permanens rerum, naturâ suâ incorruptibilium, dicitur Æuum perfectum; reliquarum verò dicitur Æuum imperfectum.

XXXIV. Tempus, seu Duratio Extrinseca, est Duratio motûs successiui, continui, constantis partibus numerabilibus ex eo, quòd vna alteram antecedat: V. G. pro vno triduo numeramus

meramus partes motûs tres, quarum singulæ sub determinata velocitate per determinatum spacium transferunt Solem, nempe ab Ortu ad Occasum. Idem vult Philosophus, à quo Tempus definitur Numerus motûs secundùm prius & posterius: intelligit autem Aristoteles Numerum numeratum, & quidem numeratione non actuali, sed aptitudinali; alioqui cũ Numeratio essentialiter pendeat ab anima, Tempus non esset nemine cogitante.

XXXV. Ista Temporis definitio si rigidè sumatur, potest cuiuis motui successiuo conuenire; ex mente tamen Aristotelis debet tantùm accommodari motui Astrorum, maximè Solis & Lunæ; horum enim motus sunt mensura mutationum sensibilium: primò, maximè vniformis, regularis & constans; secundò, mensurato homogenea; tertiò vniuersalissima, & omnino notior mensurato. Debet autem regularitas motus cœlestis sumi non secundùm viam, quam Astra transeunt, sed secundùm terminos, quos sub ratione specialis temporis (V.G. horarij) determinato cursu in distantiam itidem determinatam assequuntur.

XXXVI. Principales Temporis differentiæ sunt Præsens, Præteritum, & Futurum. Tempus non dicitur Præsens tantùm quoad instantia, sed etiam quoad partes: ad id autem vt dicatur Præsens tempus, sumendum est in ordine ad se totum; si enim sumatur in ordine ad aliud, tum habet rationem Præteriti vel Futuri: V. G. hic mensis, comparatus ad vltimam diem prioris mensis, habuit rationem futuri; idem comparatus ad primam diem futuri mensis, habet rationem præteriti; comparatus verò ad seipsum secundùm suam totam successionem, habet rationem præsentis.

XXXVII. Præter istas Temporis differentias, Aristoteles adhuc numerat quinque præcipuas partes Temporis, & sunt istæ, IAM, ALIQVANDO, NVPER, OLIM, SVBITO. IAM, hoc loco est pars Temporis præteriti aut futuri, à præsenti momento parum distans. ALIQVANDO est pars Temporis præteriti aut futuri, vtrinque instantibus terminata. NVPER est pars præteriti Temporis, præsenti instanti propinqua. OLIM est pars præteriti, aut futuri, longè à præsenti instanti distans. SVBITO est pars temporis tam parua, vt sensu non aduertatur.

XXXVIII. Tempus à suo motu non nisi formaliter distinguitur: debet autem hoc loco motus non sumi secundùm id, quod dicit formaliter, nempe secundùm ipsam productionem alicuius Vbi, sed secundum id, quod dicit integraliter, nempe secundùm successiuam applicationem Cœli ad certum spacium; hoc enim est, cuius partes numeramus, non verò ipsa actio, quæ tam obscura est, vt propè nulla esse videatur, quàm vt possit esse notior quædam mensurandis rerum infernatium Motibus regula.

XXXIX.. Omnia tempora extrinseca sunt eiusdem speciei; licèt enim motus materialiter sumpti diuersificari possint, formaliter tamen sumti eandem rationem successionis partium priorum ac posteriorum habent. Duratio tamen intrinseca rerum permanentium, à duratione rerum successiuarum itidem intrinseca, ob tantam existendi diuersitatem meritò dicitur essentialiter distingui, absoluuntque hæ duæ species prædicamentum QVANDO.

XL. Velocitas aut Tarditas licèt tempori conuenire possit, vt habet rationem motûs, non tamen eidem conuenit, vt habet rationem temporis. Non distinguuntur nisi formaliter à motu; nil enim sunt realiter, nisi entitas ipsius motûs (sumti secundùm applicationem ad spacium, si sit localis) connotans longius aut breuius spacium, certo tempore percurrendum: Velox enim in motu locali dicitur, qui pauco (vel æquali, si sumatur respectiuè) tempore multum spacij transit; Tardus, qui multo tempore parum spacij absoluit. DEVS potest sine superadditâ nouâ entitate eundem numero motum reproducere, ita vt iam rem tardè moueat, quam antè velociter mouit.

INTEN-

INTENSIVUM.

I. Intensiuum Continuum aliqnando absolutè dicitur Intensio, & per istam vocem tum intelligitur res aliqua, in quantum ea plures partes in eodem subiecto vnita habet; siue quod idem est, in quantum ea habet latitudinem quandam, & non tantùm indiuisibilitatem respectu eiusdem subiecti magis perficiendi.

II. Alio modo ista vox Intensio sumitur pro Motu, seu Actione producente partes alicuius rei intensibilis in subiecto; & definitur ab Aristotele Mutatio, per quam qualitas eadem in eadem parte subiecti perficitur. Ista actio ratione suæ entitatis non patitur intensionem primo modo sumtam, sed tantùm ratione termini.

III. Intensio dicitur Mutatio, non quasi Continuum Intensiuum, vt sic, ex sua assentia debeat mutatione produci; sed quia Aristeteli eo loco institutum erat, quosuis motus sub ratione transmutationis considerare.

IV. Mutatio, quâ Continuum Intensiuum vt sic produci potest, sumitur primò latissimè, prout non plus dicit, quàm aliquam rationem qualis qualis passionis; & potest describi: Acceptio noua vel Desitio alicuius Esse realis; quo modo etiam Annihilatio est Mutatio, & sic etiam Creatio Continui Intensiui esset mutatio.

V. Secundò potest ist hæc mutatio sumi pro actione qualicunque, modò sit realis. Tertiò potest sumi pro vt dicit eductionem alicuius formæ, siue tendat ad formam perfectam, siue imperfectam; siue includat priuationem in subiecto, siue non: & sic est genus ad mutationem eam in specie, quæ est inter terminos contradictorios, & eum motum in specie, qui est inter terminos contrarios.

VI. Quartò potest sumi pro transitu, per quem fit, vt aliquid se habeat aliter nunc quàm priùs; & sic includit priuationem in subiecto prægressam. Quintò demum sumitur mutatio productiua continui, pro vt definitur Actus entis in potentia, quatenus in potentia, & sic præter priuationem includit etiam successionem.

VII. In hac vltima acceptione Actio productiua Continui Intensiui (& cuiusuis alterius, de quo tamen nobis iam non est quæstio) vsitatiùs dicitur motus, & quidem strictè: Alij tamen motum strictè dictum volunt tantùm inter contraria esse. Sed vtrique rectè faciunt: præsertim si hos motus non inter se, sed ad alios comparant, quia quiuis motus potest respectu alterius stricti denominationem habere, si ad plures conditiones adstringatnr, quàm alter.

VIII. Si intensa qualitas vnà cum subiecto, aut extra subiectum produceretur, tum nõ esset Intensio Aristotelica, sed intensæ Qualitatis productio, quia non esset mutatio cum priuatione; & vox Intensio in abstracto infert subiectum, quod non infertur ab eadem in concreto, éstque ac si dicerem Intensificatio.

IV. Si in subiecto successiuè producantur plures gradus, V.G Lucis, tum illa productio habet rationem eius motûs, qui dicitur Actus entis in potentia &c. quia vt sic mobile imperfectè actuatur non tantùm per ipsam actionem, sed etiam per actionis terminum: qui tamen idcirco non est ipse motus; cùm se habeat tantùm concomitanter, nec participet rationem motûs materialem, quæ est entitas actionis; nec formalem genericam, quæ est mutatio in communi.

X. Productio Continui Intensiui, pro vt est Motus, est medium quid inter potentiam & perfectam formam; nam potentia omnino non actuat; forma verò omnino perfectè; motus autem nec omnino perfectè, nec omnino non actuat. Productio primi gradus luminis non habet rationem motûs, nisi cum respectu ad secundum.

XI. Non

XI. Non possum concipere illam actionem esse priùs naturâ lumine, idque tum ex generali ratione actionis, quæ nunquam naturâ prior est termino; tum peculiariter etiam ex eo, quia possem concipere aliquid illuminari sine lumine. Eiusmodi actio specificatur à subiecto & vtroque termino, nempe & à termino à Quo, & à termino ad Quem.

XII. Productio instantanea intensæ Qualitatis potest quidem dici Actus mobilis, quatenus mobile est; nõ verò potest dici Actus entis in potẽtia, quatenus in potentia. Quando Aristoteles pluries ad motum successionem requirit; vt quando 10. Eth. c. 4. dicit voluptatem non esse motum, eo quòd possit esse in instanti, locutus est de motu, posteriori definitione definito; quæ si non inuolueret successionem, iam nulla alia definitio eam inuolueret.

XIII. Productio intensæ Qualitatis in subiecto, quod antè habet omnimodam eius priuationem, rectè vocatur mutatio in specie, siue mutatio in contradictione, eo quòd fit inter terminos contradictorios: productio verò Qualitatis in subiecto non omnimodè priuato, rectè vocatur motus in specie, seu motus strictè, seu mutatio in contrarijs. Aristoteles mutationem in contradictione rectè substantijs per principalitatem attribuit.

XIV. Etiam actio inter terminos contradictorios substantiales, & non intensibiles, vocatur mutatio strictè, seu in specie, eo quòd ex vna parte mutatio vniuersim sit quædam variatio ab vno Esse ad aliud, & variatio insignis dicat mutationem insignem, & stricti nominis: ex altera verò parte mutatio substantialis multò vtique notabilior sit, quàm quæuis accidentalis; inter quas tamen ex communi sensu maior censetur, quæ est à priuatione ad formam, vel contrà, quàm ea, quæ est inter terminos vtrinque positiuos.

XV. Multò commodiùs motum, quàm mutationem, vocamus variationem qualitatis intensæ, quæ est inter terminos positiuos, vt est transitus à frigore ad calorem. Hæc denominatio sumitur ab analogia ad motũ localem, in quo cùm subiectum, saltem quo ad sensum, non multùm varietur dicimus potiùs rem moueri, quàm mutari.

XVI. Talis motus datur ad Prædicamenta etiam illa, quæ non continent res intensibiles, sed tantùm ad duo, nempe Vbi & Quantitatem; nam de prædicamento Qualitatis non ambigitur. Contrarietas ad talem motum non requiritur tanta, quantam habent qualitates, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto se expellunt; sed sufficit quæuis latitudo, quæ inter terminos positiuos respectu eiusdem subiecti demonstrabilis intercedit.

XVII. Contrarietas motûs in qualitatibus intensibilibus consistit in latitudine graduũ; sic frigidum summè contrariatur summè calido. Contrarietas motûs in Quantitate consistit in latitudine extensionis; sic quantum vnius cubiti contrariatur quanto trium cubitorum. Contrarietas motûs ad Vbi consistit in latitudine formæ saltem extrinsecæ, quæ ratione vnius partis successiuè acquiritur, ratione alterius amittitur; sic mobile principio spacij coëxistens contrariatur sibi coëxistenti fini spacij.

XVIII. Productio Qualitatis intensibilis est species Alterationis; ex mente quidem Aristotelis tantùm eius Alterationis species est, quæ terminatur ad qualitates ad generationem substantialem ordinata. Ex rigore definitionis Intensio est species eius Alterationis, quæ tẽdit ad quamuis qualitatem in subiecto producendam.

XIX. Intensio in hoc differt ab Alteratione, quòd hæc præcisè dicat productionem qualitatis in subiecto; Illa verò dicat insuper qualitatem in eodem subiecto præhabitam, consequenter prior connotet priuationem in subiecto partialem præhabitam, posterior verò ab hac & totali abstrahat.

XX. Diuersæ speciei qualitates non possunt facere Continuum Intensiuum, nec vniri: interim numero diuersificatur intensa qualitas, eo ipso quòd intensio sit à minori qualitate ad maiorem, non quidem essentiali perfectione, aut relatione maioritatis vt sic, sed entitate.

XXI. Quando intensa qualitas dicitur eandem partem subiecti afficere, tum potest intelligi subiectum vel exercens rationem diuisibilis, vel exercens rationem indiuisibilis: potest enim V.G. calor vt octo esse in parte exercente rationem indiuisibilis per contactum; vt si globus igneus perfectè rotundus planum tangat.

XXII. De partibus & indiuisibilibus Continui Intensiui proportionaliter discurrendum est, sicut de Continuo Extensiuo, nisi quòd indiuisibilia intensionis nullam penitus habere latitudinem videantur, quo ad intensionis commensurationem. Vniuntur gradus caloris se ipsis, nec faciunt ex se partes aut indiuisibilia actu. Pars qualitatis intensæ exercet rationem indiuisibilis intensiui, in quantum vna pars indiuisibiliter se habet ad aliud in intensione.

XXIII. Potest pars caloris intensi, exercens rationem indiuisibilis, extendi per magnũ spaciũ in subiecto: potest etiã aliqua pars caloris exercere rationem indiuisibilis tam extensiui quam intensiui; Illud quidem, si commensuratur subiecto exercenti rationem indiuisibilis; Hoc verò, si simul habeat rationem copulantis vel terminantis, & quasi coërcentis qualitatem, ne ad vlteriorem gradum intensiuum excurrat.

XXIV. Indiuisibile intensiuum habet rationem Terminantis, quãdo absolutè ꝑ illud fit, ne gradus vnus iungatur alteri; rationem verò Copulantis habet, quando per illud fit, ne gradus iungatur alteri, saltem per coniunctionem vnius indiuiduæ entitatis. Dantur ergo triplicis generis indiuisibilia; primò, tantùm, quoad extensionem; secundò tantùm quoad intensionem; tertiò, aliqua indiuisibilitatem habent & quo ad extensionem, & quo ad intensionem simul.

XXV. Intensio perficit ita subiectum, vt illi largiatur quoddam perfectius esse, non quidem quo ad essentiam, sed tamen quo ad entitatem & integritatem. Conuenit solis qualitatibus, non tamen omnibus: Illæ formæ, quæ subiecto præstant, vt illud indiuisibiliter se habeat in hac vel illa perfectione, non intenduntur. Etiamsi duæ partes Quantitatis in eodem subiecto inter se vnirentur, non facerent intensionem.

XXVI. Ista perfectio, quâ qualitas alteram dicitur perficere, fit additione gradûs posterioris ad gradum priorem, per vnionem inter se & cum subiecto; non tamen excedit latitudinem octo graduum. Non potest concipi maior radicatio qualitatis, aut perfectior actuatio subiecti, sine additâ nouâ qualitatis entitate.

XXVII. Si intensio fieret productione perfectioris qualitatis, quæ priorem imperfectiorem penitus iam abolitam virtute contineat, tum remissio fieret destructione perfectioris qualitatis, & productione imperfectioris. Proprietates Elementorum in ratione proprietatis non intenduntur, sed in ratione materialis alicuius entitatis.

XXVIII. Terminus à Quo, vt vniuersim in motu, ita etiam peculiariter in Intensione perit, vbi habetur terminus ad Quem, sed tantùm secundùm priuationem maioris perfectionis adiunctæ: Terminus enim à Quo, qui est gradus, V. G. caloris minùs perfectus, per superuenientem perfectiorem gradum cẽsetur tolli, in quantum per hunc tollitur illius perfectionis priuatio, licèt gradus ipse secundùm entitatem maneat.

XXIX. Remissio fit separatione seu detractione gradûs à gradu: definitur Mutatio, quâ ita qualitas destruitur, vt tamen aliquid illius relinquatur in eadem parte subiecti. Non infert actionem positiuam: si nil in subiecto remaneret, tum simpliciter esset Corruptio Alterationi opposita.

XXX. Pro-

XXX. Productio qualitatis, quæ respectu alterius est minus intensa, potest quidem tolerabiliter dici Remissio; sed est actio positiua, & absolutè est Intensio. Qualitates quo ad latitudinem extensiuam non habent terminum; quo ad intensiuam proportionantur suæ formæ. Materia prima non est capax plurium graduum qualitatis, quàm octo.

XXXI. Gradus intensiui aliquo modo differunt perfectione indiuiduali: sic etiam duo homines differunt, eo ipso, quòd ex vna parte indiuiduatio sit quædam perfectio, ex altera verò repugnet ista conuenire in eo, in quo formaliter differunt, nempe in indiuiduatione. Isto modo improprio omnia sunt heterogenea.

XXXII. Propria heterogeneitas foret in gradibus, si illi inter sese ita discreparent, vt vnus alterum necessariò præsupponeret, virtute contineret, perfectione ita excederet, vt V. G. tertius subiecto eãdem actiuitatem solus largiretur, quam secundus; vel duo primi non maiorem, quàm vnus primus, &c. Hoc modo negamus gradus intensiuos esse heterogeneos, & differre perfectione indiuiduali.

XXXIII. Ista Heterogeneitas videtur primò inferre diuersitatem naturæ in gradibus, & constituere naturas quasdam specificas, non multiplicabiles numero; sicut Quidam dicunt de Angelis. Secundò videtur tollere Reactionem. Tertiò videtur inferre Infinitum actu; quia quæuis pars V. G. primi gradûs deberet esse heterogenea, aliàs iam conceditur aliqua intensio fieri ex partibus homogeneis.

XXXIV. Quando gradus intensionis simul sunt in subiecto, tum ante designationem nullus est primus, nullus secundus, sed est tantùm vna numero indistincta qualitas: post designationem verò habet aliquis gradus rationem primi tantùm à numerante, quatenus accipitur ab eo ante alium; & si acciperetur post alium, esset secundus.

XXXV. Si accipiantur hi gradus, in quantum ordine quodam & successione temporis in subiectum inducuntur, sic iterum habent rationem primi aut secundi tantùm accidentalem, extrinsecam à tempore, aut ab successione post inuicem; & æquè subiectum à primò fuisset perfectum, quàm à secundo, si hic ante illum à DEO fuisset productus.

XXXVI. Sicut gradus ordinem quendam habent quo ad sui Productionem, ita etiam habent quo ad Corruptionem; sicut enim alius alio exigit primò produci ab agente, ita etiã exigit priùs corrumpi. Probabiliter à primo gradu caloris inducti, destruitur primus gradus frigoris antè inductus, vt quantò seriùs reliqui inducti sunt, tantò diutiùs maneant.

XXXVII. Causæ intensiuæ ad effectûs rationem indiuiduam non determinantur à DEO, sed à seipsis, & simul à subiecto, in quod agunt, sunt determinatæ, ad hunc potiùs quàm illum effectum, isto & non alio ordine producendum, & effectus ipsi sic produci ob eandem determinationem postulant. Tempus & Locus per se non spectant ad rationem effectûs indiuiduam determinandam. Iste ordo graduum inter se non facit partes actu in Continuo Intensiuo.

XXXVIII. à Nostra sententia non sunt diuersi, qui dicunt causam ad rationem indiuiduam effectûs determinari à DEO, supposito quòd DEVS cognoscat se taliter vel taliter imitabilem. Licèt Natura specifica respiciat omnes effectus producendos, in quantum consideratur extra singularia, in quantum tamen restringitur ad certam entitatem numericam per conditiones indiuiduantes, sic respicit tantùm certa indiuidua.

XXXIX. Ab vno Agente respiciuntur infiniti effectus, sed tamen solùm in certa serie. Si ignis applicaretur infinitis combustibilibus, infinita combureret. Infinitudo potentiæ non æstimatur ex obiecto, sed vel ex modo agendi perfectissimo; vel ex infinitate essentiæ. Po-

tentia tantum crescit, quantum ipse effectus, sed proportione Geometricâ, non Arithmetica.

XL. Nil refert, siue Agens seccessiuè, siue simul ad infinitos effectus applicaretur; eodem enim modo illos, vt sic, attingeret. Quòd in sensitiuis sensus pluribus simul intentus minor est ad singula, id euenit ex accidenti, nempe ratione spirituum vitalium; qui cùm in tantilla alimenti copia non sufficientes sint omnibus simul potentijs, actus eorum impediunt.

Cùm inter cæteras materiæ philosophicæ quæstiones, illa de Continuo non postremo numeretur loco, & præsens hæc disceptatio, pleraque (quæ tàm de Continuo in communi, quàm Extensiuo & Intensiuo controuerti solent) comprehendat, nec contra Fidem vel bonos mores peccet, iure merito publicam sibi vendicat lucem.

JOANNES FORNERVS SS. Theol. & Canonum D. nec non pro tempore Decanus.

Tripartitam hanc de Continuo disceptationem, duplici eruditione, & non vulgari, sed ad quantitatem discutiendam perquā necessariâ; nimirum & Physicâ & Mathematicâ locupletē, luce publica dignissimam esse censeo.

PETRVS HILDEBRANDT Soc. IESV SS. Linguæ & Matheseos Professor. Ordin. & pro tempore Decanus.